C. D.

DE

CAMERA PRINCIPIS

Von

der Fürſtlichen Cammer.

SUB

PRÆSIDIO

PETRI MÜLLERI, JCti,
CONSILIARII SAXONICI,
PANDECTARUM PROFESSORIS ORDINARII
AC COLLEGII JURIDICI
DECANI,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN

AUDITORIO JCTORUM

d. XI. Decemb. M. DC. LXXXVII.

diſſeret

JOH. FRIDERICUS GERHARDUS,
Eiſenbergenſis.

JENÆ, Typis PAULI ERICHII. 1715.

Digitized by Google

Digitized by Google

Caput I.

comprehendit

NOTATIONEM NOMINUM PRINCIPIS ET CAMERÆ.

SUMMARIA.

I. Quid denotet vocabulum Principis. II. Quid Camera. III. Quot modis accipiatur Camera. IV. Variæ appellationes. V. Deſcribitur Camera.

Th. I.

DE Camera Principis, Deô clementer adminiculante, ſuccinctam compoſiturus Diſſertationem operâ non abutar, ſi brevem tractationi, ſecundum methodum in ſcholas invectam, notationem vocum & explanationem præmittam. Vocabulum Principis h. l. non equidem præciſe accipio in ſenſu juris publici hodie plerumque uſitatô, prout ſingularem connotat dignitatem, atque eminentiam præ reliquis Statibus; ſed in ſenſu politico, pro tali ſcilicet imperante, qui vel proprie,

vel analogice ſaltem dictam habet majeſtatem, ſive habeat illam plenam, non tamen plene, ſive plene teneat eandem, ut tamen non habeat plenam, dummodo regali gaudeat vectigalium imponendorum cum maxime ordinariorum, ſive nec plenam nec plene habeat, ſive & plene & plenam teneat. De quibus majeſtatem habendi modis explicitius diſſerit Maxime Reverendus D. Velthemius in introd. ad H.Grot. *l. 1. c. 3. §. 38. & ſeqq.*

Th. II. Vocabulum Cameræ ſive Camera quidam deducunt à Græco καμάρα, quod Latinis cameram, fornicem ſignificat, ſive teſtudinem. Vox καμάρα autem juxta Stephanum dicta eſt παρὰ τὸ κάμνειν τῷ βάρει. Qualiter fornicem quidam dicunt, quia ferendo nitatur. Illorum tamen palato, qui ex peregrinatione gentium deducere ſolent, quod lingua Germanica longe prior ſit, quam Græca, dubiô procul magis arridebit conjectura Doctiſſimi Martinii, qui vocem *Camera* à Chaldaico קמר cingere derivat, quoniam loca fornicata ſive Cameræ cinguli habent figuram: Vel à Rabbinico קמר clauſit; Camera enim locum ſuperne claudit. *Vid. Gerard. Joh. Voſſii Etymol. Ling. Lat. ſub voce Camera.*

Th. III. Deinde *Camera* non uno accipitur modo. 1.) enim uſurpatur pro ſummô Imperii Romano-Germanici aliquo *Tribunali*, puta die Reichs-Kammer zu Speyer. 2.) Sumitur interdum *pro Cancellaria* conſilii ſecretioris, vor die geheime Reichs-Stube / id quod colligere eſt ex titulô Kammer-Secretarius, quô inſignitur quandoque ille Secretarius, qui intimorum conſiliorum ſecreta, modum regiminis maxime attinentia, ſecundum ſtylum Aulicum in ſcripturam redigit, & deinde cenſuræ Dominorum Conſiliariorum ſubmittit. 3.) Vox Cameræ uſurpatur interdum *pro conclavi Principis*, quod ipſe incolit, quemadmodum illos de-

pre-

Digitized by Google

prehendimus appellari Cammer-Herren / Cammer-Junckern / quorum comitatu ſplendido & operâ Princeps in domicilio ſuo, & extra iſtud indies utitur. 4.) Ex uſu loquendi in terris Statuum Imperii communiter tanquam per *Synecdochen generis pro ſpecie capitur pro iſtô conclavi, ubi de reditibus & expenſis Principum tractatio inſtituitur*, id, quod inde manavit, quoniam priſcis temporibus & Imperatores & Reges in ſuis ipſorum conclavibus non ea tantum, quæ pertinent ad tractanda Reipubl. gubernacula, verum & proventus Principatuum cognoſcere, deque iisdem conſilia cum ſuis Conſiliariis inire ſueverunt. *Vid. Perilluſtris Dn. à* Seckendorff im Teutſchen Fürſten-Staat *p. 3. c. 4.* §. *1.* Quâ ultima in vocis ſignificatione opella noſtra deinceps ponetur.

Th. IV. Et vocatur iſthæc alicubi die Cammer / Rechen-Cammer / Ampts-Cammer / oder die Renth-Cammer / à reditibus ſcil. von Renthen und Einkünfften. Quamvis haud rarò die Renth-Cammer inferior cenſeatur Camerâ ἁπλῶς appellata, ita ut Camera dicatur locus, in quo conventum celebrant conſuetum Præſes ſeu Director Cameræ & Conſiliarii Camerales. Reliquorum vero ad reditus colligendos ordinatorum officialium conclave vocetur die Cammer-Cantzeley / oder Renthere y. *Dn. à* Seckendorff *d. l. p. 3. c. 4.* §. *1.*

Th. V. Deſcribi poteſt Camera, quod ſit conclave, in quod proventus ex bonis Principis privatis & fructus jurium quorundam regalium, ad ſplendorem Status Principalis, ſalaria miniſtrorum expediunda item pacis negotia, nec non artium, viarum publicarum & pontium inſtaurationem, ut & munificentiæ in loca ſacra, miniſtros Eccleſiæ aliosque bene merentes, etiam pauperes, exercitium colliguntur & ad uſum aſſervantur. *Vid. Laudatiſſ. à* Seckendorff *p. 3. c. 1.* §. *1. & 5.* Quô de argumentô in ſequentibus plura diſſeremus. Eſto igitur

CAP. II.

DE PERSONIS CAMERAM CONSTITUENTIBUS.

SUMMARIA.

I. Cauſa efficiens Cameræ eſt quilibet Status Imperii. II. Cauſa movens eſt æquitas & neceſſitas. III. Cauſa minus principalis ſunt Officiales. IV. Quænam ſint requiſita in officialibus Cameræ. V. Quænam in Conſiliariis Cameræ requirantur. VI. Officium Magiſtri Cameræ. VII. Functio Cameralium ad duo poteſt revocari capita.

Th. I.

Cauſa Cameræ efficiens principalis eſt non quilibet tantum Status Imperii, qui ſcilicet ſeſſione & voto gaudet in Comitiis, der Stand und Stimme hat auff Reichs-Tägen / verum & omnis ille, qui jure pollet territorii.

Th. II. Cauſa movens eſt 1.) *Æquitas:* Requirit enim ſibi juſti ratio, ut ſubditi Principi ſuo tanquam patri patriæ & Deo Reipubl. univerſæ tutelari ad ſuſtinenda regiminis onera, ſacrificium veluti collectarum offerant, pietatemque ſuam in parentem civilem conteſtentur. 2.) *Neceſſitas* ſæpe numero ſumtus quosdam ad ſalutem Reipublicæ efflagitat. Raro quippe tot Princeps aliquis inſtructus eſt bonis jure privatorum poſſeſſis, ut numero vero innumeras, & in lautiorem ſui ſuſtentationem, & in regiminis uſum faciendas impenſas inde ſolvere poſſit.

Th. III. Cauſa Cameræ minus principalis ſunt *Officiales*

ciales, qui Cameram conſtituunt. Atque hi ipſi de more cujusvis territorii appellantur Land-Hoffmeiſter / Cammer-Præſidenten/ Cammer-Director, Cammer-Räthe/ Schatz-Räthe/ Cammer-Meiſter / Rent-Meiſter / Cammer-und Renterey-Secretarien / Cammer-und Renterey-Schreiber ꝛc. Ubi addo obiter, quod ideo Officiales non appellaverim cauſam Cameræ inſtrumentalem, quoniam cauſa inſtrumentalis influit effectum virtute ignobiliore, quam ad illum producendum requiritur: At vero hæ perſonæ (cæteris tamen paribus) influunt in effectum ſive cauſas officii ſui virtute ſatis nobili, quam ad illum producendum requiritur, quamvis hæc virtus aliunde nempe à cauſa principali ipſis ſit communicata.

Th. IV. Quibus in miniſtris ordinis primarii requiritur 1.) ars æqui & boni, 2.) ſingularis dexteritas conveniendi & loquendi & ſcribendi, 3.) notitia non vulgaris reſpectu genii, quem monſtrat territorium. 4.) Oeconomiæ prudentia. 5.) Aulæ expenſarum peritia exacta. *Dn. à* Seckendorff. *d. l.* §. 2.

Th. V. Speciatim vero officium exigit Directoris vel Conſiliarii Cameræ 1.) Ut bona Principis non privata modo, ſed & regalia reditus concernentia ad Principis & Reipubl. utilitatem dirigat, proventus annui ut tempeſtive ſolvantur atque decenter impendantur, ſummô ſtudio procuret. 2.) Cameralis eſt præſertim ſuperioris, ut oculari inſpectione indolem territorii principalis cognoſcat. 3.) Singularem impendat curam in metalli fodinas & monetarum fabricationem per domini ſui territorium, vectigalia, item jus conducendi, das Geleite / regale venandi feras majores, piſcaturam, foreſtæ fructum; matriculam Imperii, certa emolumenta ad communem utilitatem Imperii definientem, ſteuras provinciales &c. 4.) In numeratô habeat documenta ſingula

370 Con-

Contractus Principis ſui concernentia. 5.) Expenſas Principis in ſalaria cæterorum officialium, ut & alias expenſas probe ſecum expendat, atque cum proventibus ejusdem conferat. 6.) Quâcunque valet via, commoda Principis promoveat, & incommoda ſtudeat declinare. 7.) Conſilia Domino & ſubditis noxia ſufflaminet, multoque minus proferat ipſe in medium. 8.) Non tantummodò ipſe actus ſuos formare debet ſecundum ordinationem Cameralem à Principe ſuo præſcriptam; verum & operam navare tenetur invigilando, ut & reliqui Officiales Camerales juxta tenorem ordinationis ſuum faciant officium. 9.) Quàm maximè verò eò protendere debet curas ſuas, ut reditibus colligendis integræ fidei miniſtri præficiantur: Qui nunquam admittantur, niſi præſtitâ prius cautione. 10.) Curare debet, ut ædificia, quæ vitii cepêre aliquid, reſarciantur in tempore, & ſi nova ponenda ſit ſtructura alicujus momenti, opus hoc caveat ne aggrediatur, antequam conſenſum ſuper hoc domini impetraverit. 11.) Inventaria ſupellectilis in quôlibet Principis ædificiô contentæ ut conficiantur, omnem movere debet lapidem. 12.) Obligatus eſt attendere curioſe, ut opera ſubditorum, die Frohn-Dienſte, Domino ſuo ritè ac legitimè præſtantur. 13.) Obſervare adſtrictus eſt, ne domini ſui metalli fodinæ, monetæ, vectigalia, jura venandi, foreſtæ, collectandi, & id genus alia ab aliis flagellentur injuriâ. Hocque ſi fiat, confeſtim iſtud aperire Principi & medicinam malo invenire tenetur. 14.) Syllabum proventuum territorii pro qualitate eorundem vel per ſingulas hebdomadas vel menſes ſingulos aut quatuor per tempora à quovis Officiali exigere debet, huncque conferre cum rationibus miniſtrorum in illarum, quam vocant juſtificatione decernenda. 15.) Annuatim rationem redituum requirere debet à quovis Cameralium bonorum adminiſtratore. 16.) Navare debet ope-

operam, ut aula principis victualium polleat ſufficientia. 17.) Singularem impendere debet curam, ut miniſtris trimeſtri quôvis emenſô ſpatio ordinaria ſalaria ſolvantur integra. 18.) Pecuniæ ad Imperii & Cameræ conſervationem dicatæ, ut rite in locum deſignatum deportentur, ſummo ſtudere debet opere. 19.) Juriſdictionem ſecundum ordinationem Cameralem decenter debet exercere. 20.) Superattendat miniſtrorum Cameralium actionibus: adeoque pluries ipſe inſpiciat, atque oculariter cognoſcat conditionem camporum, ſylvarum, piſcinarum, lacuum ad Cameram ſpectantium. 21.) Juſſu Domini legationes vices ſubeat, ac quocunque decedere ille mandet, eò promptus profectionem ſuſcipere, & in ſumma, ſingula feliciter expedire debet. Et quæ ſunt id generis alia ex ordinationibus Cameralibus haurienda.

Th. VI. *Officium Magiſtri Cameræ* vel redituum quod attinet, illud cum maxime intendit, ut rationum à miniſtris reddendarum imprimis curam gerat, & ſi deprehendat fraudulenter opus Domini facientes, deferat illos tempeſtive ad collegium Cameræ, quo cauſæ ibidem cognitio ſuſcipiatur, & male in rem domini ex lucri rabie graſſantes officio ſuo exuantur. Quantumvis ſi caveæ ſint inferioris miniſtri v. g. villici & id genus alii, etiam inconſulto collegio hos redituum magiſter denudare poteſt officio.

Th. VII. Et ut multa tandem complectar paucis, omnis Cameralium functio ad duo poteſt revocari capita: quorum primum eſt, ut rite exigantur & colligantur reditus Principis, Cameræque exhibeantur, ejusque diſpenſationi de more reſerventur. Alterum eſt, ut collecti proventus in ſumtus à Principe decenter faciendos recte impendantur.

Digitized by Google

Cap. III.
DE
BONIS CAMERALIBUS, CAMERÆ-QUE REDITIBUS.

SUMMARIA.

I. Quædam bona Cameralia privatorum bonis æquivalent. II. Quædam maximam partem derivantur ex jure regalium. III. Principis ſingulare commodum verſatur in re metallica. Quid vocabulo metalli ſignificetur. IV. In Electoratu Saxoniæ quid vocabulo metallifodinæ indigitetur. V. Quodcunque ex metallis colligitur, lucro cedit Principis. VI. Quilibet Status regali metallifodinarum jure gaudet. VII. Num metallifodinæ ſint de regalibus, an decimæ fiſco debitæ inter regalia debeant cenſeri. Olim quidem illæ fuerunt in patrimonio, aſt hodiè inter regalia cenſentur. VIII. Jus circa monetam huc pertinet. IX. Revocat quandoque Princeps monetam cuſam ad fabricam ſuam à ſubditis. X. Non tamen ſine ſubditorum damno id fieri ſolet. XI. Privatis non eſt concedendum jus nummi cudendi. XII. Privatus cudens monetam committit crimen Majeſtatis. XIII. Diſſolutio monetæ ſub pœna ignis eſt interdicta. XIV. Ratio ſignandi nummum non ſine omni conditione procedit. XV. Locum hic ſortitur vectigal. XVI. Quis olim, & quis hodie inſtituat vectigalia. XVII. Quantum pro vectigali dandum. XVIII. Mercatura promovenda eſt ad augendum vectigalis commodum. XIX. Bona non exſolventium vectigalia cadunt in commiſſum. XX. Si quis immunitate gaudet, neque merces profitetur apud præfectum vectigalium, num ea cadant in commiſſum? XXI. Ob quaſnam alias

cau-

cauſas res cadant in commiſſum, exponitur. XXII. Cameram augent feuda caduca. XXIII. Quales dentur actiones domino feudi. XXIV. Utrum ſententia ſaltem declaratoria requiratur. XXV. Venatio fiſcum auget. Triplicis generis feræ enumerantur. XXVI. Jus perſequendi feras proprium hodie eſt dominorum territorialium. XXVII. Jure an injuria id factum. XXVIII. Feras rapaces perſequi cuilibet licitum eſt. XXIX. Quid juris, ſi alter jus venandi, alter jus ſylvæ habeat, an liceat arboribus ſylvam denudare. XXX. Qualis ſit pœna furum ferarum. XXXI. Quidnam jure Saxonico obtineat. XXXII. Jus foreſtale quodnam ſit? XXXIII. Curandum, ne ſylvæ penitus extirpentur. XXXIV. Jus Grutiæ exponitur. XXXV. Piſcatio auget reditus Cameræ. XXXVI. Leges circa piſcationes. XXXVII. Quantum afferat quandoque Cameræ piſcatio, exemplum quoddam refertur. XXXVIII. Tributa & Confiſcationes Cameram ditant. XXXIX. Tributa alia realia, alia perſonalia, alia mixta. XL. Olim omnes collectæ erant extraordinariæ. XLI. Collectæ in Germania mirificè variant. XLII. Diſpeſcuntur in univerſales, & particulares; quæ ſunt vel circulares, vel Provinciales. XLIII. Quibusnam rebus regulariter imponendæ ſint collectæ. XLIV. Datur nonnullis immunitas à collectis. XLV. Cuinam accreſcat illud onus, quod ex particulari immunitatis conceſſione enaſcitur? XLVI. Qualis ſit collecta Capitatio. XLVII. Confiſcationis jus quale ſit.

Th. I.

BOna Cameralia variæ ſunt indolis, quædam ita comparata, ut privatorum bonis per omnia æquipolleant, hæcque ſaltem in iisdem diſcriminis nota à bonis privatorum deprehendantur, quod Princeps majori numero atque

 auto-

Digitized by Google

autoritate majore iſthæc posſideat: Qualia ſunt arces,& domus variæ, item villæ, campi, vineæ, horti, prata, ſylvæ, piſcinæ &c. Nec non proventus ex talibus bonis immobilibus accedentes, adeoque immobilibus rebus æquiparati, v. c. canon emphyteuticus, decimæ, annui reditus, operæ ruſticorum, jus paſcendi &c. Porrò ad hanc pertinent claſſem pecunia, aurea & argentea vaſa, animalia, frumenta, & omnis generis ſupellex à majoribus comparata, aut ab ipsô Principe cottidie acquiſita.

Th. II. Deinde bona Principis alia conſiſtunt in reditibus, quæ maximam partem derivantur ex jure regalium quorundam, quorum exercitio regulariter carent ſubditi, niſi ſpeciali Principis conceſſione aut præſcriptione illud impetrârint. De quibus regalibus in ſubſequentibus quædam in medium proferre ſedet animo.

Th. III. Inprimis autem in eo ſingulare Principis agitur commodum, ut ſuô in territoriô *rem metallicam* ſummo ſtudio urgeat & ſatagat augere. Vocabulô autem *metalli*, quod à fodiendô ita nuncupatur, atque à Græco verbo μεταλλῶ vel μεταλλεύω ducit originem, h. l. non utimur in ſignificatu latiſſimô, prout quamlibet notat materiam ex terris extractam; ſed arctiore in ſenſu, quatenus ſignificat nobiliores tantum materias, aurum ſcil. argentum, orichalcum, cuprum, ſtannum, plumbum, &c. item lapides pretioſos. *Vid. l. 6. C. de Metallar. & metall. lib. 11.* Ubi tamen minus approbatur ſententia *Weſenbecii*, qui *Conſ. 60. n. 30.* aſſerit, quod ſolum auri & argenti fodinæ ſint regalia, non autem cupri & ſimilis metalli. *Vid. Roſentb. de feud. c. 5. Concl. 88.*

Th. IV. *In Electoratu Saxoniæ* vocabulô metallifodinæ quid indigitetur, id patet ex *Conſtit. D. Auguſti Elector. Sax. 53. p. 2.* ubi ordinatum legimus, quod omnes theſauri (metal-

(metallifodinas intellige) profundius meatu aratri jacentes, regalibus ſint annumerandi.

Th. V. Speciatim autem conſultum eſt, ut Princeps in procurandis metallifodinis ſequatur exempli facem Philippi Macedoniæ Regis, quippe qui, *Livio memorante l. 39. c. 24.* metallifodinas non ſolum reſtauravit veteres, ſed & novas adornavit. Quodcunque enim ex metallifodinis colligitur, lucro cedit Principis ſingulari, atque inſtar eſt mercantiæ; cujus nemo niſi Princeps, regulariter debet eſſe particeps. *Scipio Amiratus l. 3. Differt. Polit. in Tacit. diſc. 8.* Unde & *Lucas de Penna in L. Quicunque deſertum, pr. C. de omn. agr. deſert. lib. II.* affirmat rectiſſime, quod aurifodinæ pertineant ad Principem pro rei gerentis publicæ negotiis. Cui pollicem premit *Azor. 2. part. verſ. c. 4. Piſcationum reditus*, qui regi attribuit auri, argenti, cupri, ſtanni, ferri & denique cujuslibet metalli venas, harumque nec ipſum Regem alienandi pollere facultate ſtatuit *Georg. de Cabedo. p. 2. D. 55. n.* Quod ipſum etiam docet conſtitutio Imperatoris Henrici VI. quam tradit *Goldaſt. tom. 3. Conſt. imp. fol. 362. & ſeqq. de anno 1189. ibi.* Cum omnis argenti fodina ad jura pertineat Imperii, & inter regalia noſtra ſit relata, nulli venit in dubium, quin ea, quæ nuper in principatu Mindenſi dicitur inventa, ad noſtram totaliter ſpectet diſtributionem. Quâ tamen in conſtitutione *cap. 2.* duas illius portiones Imperator, donationis titulo tranſtulit laudatum in Principatum tertiâ parte ſibi reſervata.

Th. VI. Hic tamen prætermittendum non eſt, quod hodie non Imperator tantum, veluti ſummus Princeps in noſtra Republ. Romano-Germanicâ, verum & quilibet Status Imperii ſuô in territorio hôc regali metalli fodinarum jure polleat, idque ex majeſtate analogice ſic dictâ, quam ſuperioritatem alias vocare ſueverunt territorialem, vel ex

 ſpe-

Digitized by Google

ſpeciali Impp. conceſſione, aut etiam ex rerum uſu longiori. *Vid. A. B. c. 9. ibi. Præſenti conſtitutione in perpetuum valiturâ ſtatuimus, ac de certa ſcientia declaramus, quod ſucceſſores noſtri Bohemiæ Reges, nec non univerſi & ſinguli Principes Electores, Eccleſiaſtici & Seculares, qui perpetuo fuerint, univerſi auri & argenti fodinas, atque mineras ſtanni, cupri, plumbi, ferri, & alterius cujuscunque generis metalli ac ſalis, tam inventas, quam etiam inveniendas impoſterum quibuscunque temporibus in regno prædicto, ac terris & pertinentiis eidem regno ſubjectis, nec non ſupradicti Principes in Principatibus, terris, dominiis & pertinentiis ſuis tenere juſtè poſſint, & legitime poſſidere cum omnibus juribus, nullo prorſus excepto, prout poſſunt ſeu conſueverunt talia poſſidere &c. Add. Arum. add. c. 9. θ. 5. p. 214. & Speidel. in Spec. var. Obſ. ſub voce* Ertz⸗Gruben/ §. *ult. it. Klock. de Ærariô l. 2. c. 27.* ubi ait θ. 8. quod licet vigore *A. B. c. 9.* Electoribus ſolummodo facta ſit metalli fodinarum conceſſio, non etiam aliis Principibus, vel Comitibus, vel Baronibus, vel civitatibus; Experientiâ tamen ſit comprobatum laudatas perſonas illuſtres ac civitates omnes fere eâdem gaudere facultate, quam vel ex peculiari Impp. conceſſione, vel ex immemoriali præſcriptione, vel ex inveſtiturâ regali acquiſivêrunt. *Add. R. J. de anno 1551.* §. Weiter ſo ſetzen Wir. *it. Arum. ad A. B. diſſ. 5. p. 226. 227. Limn. ad A. B. c. 9. O. 25. p. 326.* Hæcque prærogativa non Principibus tantum dicto modô competit, ſed civitatibus etiam imperii. Sic Norimbergenſi Reipubl. à Carolo V. Anno Meſſiano 1540. à Ferdinando I. Anno 1559. aliisque pluribus Impp. ſequentibus jus metalli fodinarum datum eſt & confirmatum. *Vid. Klock. d. l. in annotat. n. 8.*

Th. VII. Equidem me non fugit pleroſque ferme in eâ eſſe opinione, quod ipſæ metalli fodinæ non ſint de re-

gali-

galibus, ſed illa tantum portio, aut decimæ legum autoritate fiſco debitæ, inter regalia debeant cenſeri; non tamen deſunt Autores laudatiſſimi ſtatuentes ipſas etiam metalli fodinas regalibus annumerari debere. *Vid. Roſenth. de feud. c. 5. Concl. 88.* Equidem inficias ire non poſſum, quod priſcis temporibus metalli fodinæ in patrimonio fuerint etiam privatorum ac liberum fuerit cuique metalla ex ſuo fundo auferre, etiam pretioſiſſima, juxta *l. item 9. ff. de Uſufr. l. 13. §. 5. ff. eodem.* Hocque primitus licitum erat ſine præſtatione canonis metallici Imperatori facienda, & poſtea ſub canonis præſtandi conditione, *l. inter. 17. in f. ff. de V. S. l. 2. & 3. C. de Metallar. & Metall.* Hodie tamen inter regalia cenſentur metalli fodinæ, idque non injuria. Quoniam enim privati raro ſufficiunt ſumtibus ſuis ex locis propriis metalla eruere, recte ſuccurrit Princeps, atque ex terræ viſceribus illa extrahit ad cudendum nummum pro Reipubl. ſalute & indigentia, nec non ad comparandas pecunias in publicos uſus civitatis, pro commoditate ejusdem promovenda, & depellenda neceſſitate colligendas.

Th. VIII. Alterum huc pertinens Regale eſt *jus circa monetam*, das Müntz-Regal, quod olim ſolo competebat in imperio Romano Imperatori, nec gravioris citra ſupplicii evitationem ab alio in dicto imperio poterat uſurpari; veruntamen principatibus & comitatibus & Dynaſtiis jure hereditario in ſuos poſſeſſores translatis in Germania, & Principes Germaniæ, & Comites & Barones quidam, Imperii & civitates eodem Regali ab Impp. fuere dotati, aut præſcriptione immemoriali illud acquiſiverunt.

Th. IX. Ex quo Regali notabile interdum emolumentum accedit Cameræ; quando videlicet Princeps Reipubl. exigente neceſſitate, ne ſubditorum ſubſidium ipſis damnum ingerens implorare cogatur, imperat ſubditis ſuis omnem

mone-

Digitized by Google

monetam autoritate ſuâ cuſam ad fabricam ſuam conferre, ut major eidem valor extrinſecus imprimatur; cujus rei exemplum nobis reliquit Leucon, qui ſua tempeſtate nummum omnem improbavit, ſeque aliam percuſſurum monetam promittens, præcepit ſuis, ut quilibet afferret nummos paratos. Quô factô aliud illis impresſit ſignum ac valore duplice adauxit. *Vid. Policnus 6. Stratagem.*

Th. X. Quantumvis diffiteri non poſſim, quod hæc monetæ immutatio cum ſubditorum damnô quandoque ſit conjuncta; Hæc enim mutatio pretii nummorum cenſus etiam ac bonorum cujusque ingerit dubietatem. Unde cum maximo Reipubl. incommodo ſolet evenire, ut nemo, quantum in bonis habeat, definire poſſit, incertaque ſint pacta in ſocietatibus, tutelis mandatis, rebus emtis vendiris, conductis locatis, quibus omnibus omnis ſuffulta eſt & conſervatur ſocietas. Et quantum quæſo detrimentum ingereret Reipubl. redituum incertitudo exinde promanans. *Vid. Bodinus de Rep. l. 6. c. 3. Add. Job. Mariana. 3. de Reg. Inſtitut. c. 8.* Ubi in hæc erumpit verba: Equidem non negabo (qui enim poſſim) à majoribus ſæpe monetam adulteratam, poſſeque aliquando eas anguſtias incidere, in quibus ſit neceſſario ad id remedium recurrendum. Caute tamen hac in re procedendum eſt, probeque tenendum illud *Fr. Balduini lib. 2. de Legibus Conſtant. M.* Optandum fortaſſe eſſe, publicis ſumtibus nummos eo pondere excudi, ut non minoris eſſet rude, quam ſignatum metallum. Sic enim facilius fieret, ut (qui eſſe deberet, dixit noſter Cajus) una eſſet ubique & eadem pecuniæ poteſtas. *l. ideò 3. ff. de eo, quod certo loco.* & ſublata lucri ſpe privatis hominibus omnis occaſio monetæ clam excudendæ ablata eſſet.

Th. XI. Privato autem jus nummi cudendi concedere peſtilitas eſt totius Reipubl. Quô de morbô multarum Rerumpubl. veteres etiam conqueſti ſunt ſeqq. verſiculis:

Quan-

Digitized by Google

Quando boni nummi vadunt,
Statim hos igni tradunt:
Sicque manet pagamentum,
Scorea & non argentum.
Sic confundunt mundum totum,
Iſtud undique eſt notum.

Add. *Lather. 2. c. 10. n. 63.* Hinc Status Imperii, qui jure pollent monetam cudendi, ipſi illud ad emolumentum territoriorum ſuorum & totius Imperii exercere debent, nec locare hoc poſſunt aliis, multoque minus divendere. *R. I. an. 1570. §. 137. & §. 175.* Käyſers Ferdinandi Neue Müntz-Ordnung.

Th. XII. Quod ſi autem homo privatus carens jure monetandi Cæſaris vel cujuscunque alterius Status monetam, licet juſti valoris nomine Principis cuderit, vel finxerit, crimen tamen incurrit læſæ Majeſtatis, vel proprie vel analogice talis: Jus enim cudendi monetam inter Regalia computatur. Atque ſpeciatim, qui alterius falſam cudit monetam, h. e. qui Cæſaris vel Status alicujus inſigne pravæ & adulterinæ monetæ imponit, ſive fabricat illam, vivus exuritur. *art. 3. Conſt. crim. Carol. V. & l. 2. C. de falſ. mon.* ubi tamen notandum, quod tribus præſertim modis moneta publica adulterari ſoleat, *l. Quicunque & l. ſeqq. in pr. & l. Qui falſam ff. ad L. Corn. de falſ. & l. 1. C. de falſ. mon. it.* Müntz-Ordnung *de an. 1559.* Et quidem 1.) qui nummos falſa fuſione format, falſam monetam maxime majorem in vitioſâ materiâ flando, cudendo, aut aliis, tantum permutat, ut fraudulenter in commodum ipſius colludentis cum autore monetæ extrudit pro mercibus, atque facto ipso expendit, ille comburitur, vivus, juxta *d. Conſt. Crim. Carol. V. art. III. ibi.* Sollen mit dem Feuer vom Leben zum Tode gebracht werden. Secundum Jus Canonicum ejusmodi delinquen-

 tes

tes puniuntur excommunicatione, *c. un. de Crim. falſ. in Extravag. Joh. XXII.* Qui tamen rigor pœnæ locum non invenit, ſicubi delinquens, cœptam haud perfecit monetam, pœnitentia nempe inductus. *l. Qui falſam. 19. in pr. ff. ad L. Cornel. de falſ.* 2.) Qui juſti valoris & ponderis monetæ radendo, aut amputando aliquid aufert, aut ſine privilegio à Majeſtate impetrato monetam intrinſece bonam percuſſerit, is in cuſtodiam detrudendus & pro ratione gravitatis delicti pœna corporis afflictivâ vel pecuniaria coërcetur. P. H. O. *art. 3. Add. Menoch. arbitr. jud. quæſt. caſu 316.* 3.) Quando probatam quis monetam grandiorem transmutat virtute ignis in minorem, pœna ſimiliter eſt arbitraria, & magiſtratus in hoc conſentiens privilegium ſuum perdit, *d. art. III. l. cit. it.* Käyſers Ferdinandi Müntz-Ordnung verb. Leib und Gut. Quid vero, ſi reſcriptum ab Imperatore ad hoc quis impetraſſet? Reſp. Tale reſcriptum cenſetur obreptitium, *L. ult. ibique Gloſſâ C. de falſ. mon.*

Th. XIII. Cæterum de diſſolutione monetæ adhuc notandum, quod iſthæc diſſolutio, Germ. das Körnten / barbarè das granaliren dicta, ſub pœna ignis ſit interdicta, *§. 171. Ord. Monet. Ferdinandi.*

Th. XIV. Inſuper notari meretur, quod exigente neceſſitate etiam in corio ſignari poſſit moneta, ſicuti in Belgio, dum Hiſpani obſidebant civitates illius, annis ſuperioribus bello Hiſpanico impliciti Belgæ ex defectu nummi more recepti, unde militibus obſeſſis ſtipendia eroganda eſſent, primum ærea, deinde ſtannea, ac denique coriacea & ad extremum chartacea pecunia autoritate Commendantis loci notata fuit, quâ militum placati ſunt animi, ne procederent ad rebellionis rabiem. Quæ tamen nummum ſignandi ratio non ſine omni procedit conditione, ſed ſemper cum permutatione melioris pecuniæ ceſſante neceſſitate de-

bet

Digitized by Google

bet eſſe conjuncta: Id quod, & in dato exemplo probè eſt cuſtoditum, dum nempe à fœderatis Ordinibus Quæſtor conſtituebatur extraordinarius, qui pro illa extraordinaria ac nonnullis valoris intrinſeci monetâ aliam juſti valoris intrinſecè pariter atque extrinſecè ſpectati retribueret. *Vid. Arniſæus de jure Maj. c. 7. n. 5.* Cæterum ad hoc, quæ dici poſſunt Regale ulterius, plura quidem in promptu habeo; verum ne diſſertatio hæc noſtra limites excedat propoſiti, concludo jam verbis Imperat. Leonis in *Nov. 52.* qui deminutionem monetæ velut morbum Principi eſſe fugiendum conſultò proteſtatur.

Th. XV. Tertium hic locum ſortitur Regale *vectigal*, quod vocabulum natales ſuos debet Latinorum verbo *vebo*, quoniam prætervehentes iſtud ſolvere debent. Sumitur autem vox *vectigalis* duplici modo, & quidem 1.) in ſenſu latiore, prout omnes portuum, rerum venalium, aliosque ſignificat reditus. *L. inter publicas 17. §. 1. ff. de V. S.* Unde etiam ager denominatur vectigalis. 2.) Accipitur in ſignificatu arctiore, quatenus ſcilicet indigitat reditum publicum, quo certa pecunia, aut loco illius portio rei, à transvehentibus merces aliudve magiſtratus onus hoc impoſuit, conſtituto loco pro communi commodo exigitur. Qui tamen ſolidius rem geſtiunt explicare, diſtinguunt recte inter vectigal ſtricte tale; & inter illud, quod pro conductu dependitur: Prius Germanis dicitur der Zoll/ & accipitur tanquam fructus territorii; poſterius autem vocatur das Geleite/ quod pro refectione viarum, pontium, ſecuritate in viis publicis præſtandâ &c. ſolvendum. Unde ſi cui publicâ in viâ incurſu latronum damnum aliquod ſit illatum, hoc non ille, qui accipit vectigal, den Zoll/ verum alter, ad quem redundat emolumentum conductus des Geleits/ tenetur reſarcire.

Th. XVI. Vectigalia olim nemo niſi Imperator ipſe poterat ordinare, *Sueton. in Vitâ C. Jul. Caſ. Arniſaus, C. 7. de Regal. n.* 7. quam tamen facultatem vectigalia inſtituendi hodie in Imperio deprehendimus reſtrictam in tantum, ut absque unanimi omnium omnino Electorum conſenſu Imperator neque novum vectigal inſtaurare, neque vetus augere poſſit. *Vid. Capitul. Carol. V. item Capitul. Leopold. art. 21. ibi.* Wir ſollen und wollen auch inſonderheit / dieweil die Teutſche Nation und das Heil. Römiſche Reich zu Waſſer und Land zum höchſten damit beſchwehret / nun hinführo ꝛc. ꝛc. keinen Zoll von neuen gebẽn / noch einige alte erhöhen oder prorogiren laſſen / auch von Uns ſelbſten keinen auffrichten / erhöhen oder prorogiren / es ſeyen denn die benachtbarte und intereſſirte Stände / und dero erfordertes / auch in gebührender Conſideration ziehendes Gutachten vorhero darüber vernommen / und hernacher aller und ieder Sieben Chur-Fürſten Wiſſen / Willen / Zulaſſen / und Collegial-Rath mit einhelligem Schluß alſo und dergeſtalt in dieſem Stücke vorgangen / daß keines Chur-Fürſten Widerrede oder diſſens dargegen / ſondern alle und jede dero Collegial-Stimmen einmüthig ſeyn / maſſen wir dißfalls die majora nicht attendiren ꝛc.

Th. XVII. Quamvis autem priſcis temporibus octavâ mercium parte vectigal datum fuerit. *L. 7. C. de Vectigal.* ac proinde dicta fuiſſe vectigalia octavarum & Publicanos Octavarios adpellatos colligimus ex *L. Si cum Hermes. 7. C. Locati & L. 8. C. de Vectigal.* Hodie tamen minus eſt octavâ parte vectigal, prout tradit *Sixtin. c. 6. de Regal. n. 63.* ut tamen iterum, quantitas ejus multoties variet pro locorum ratione. Maxime autem hic attendendus venit tenor privilegii ab Imperatore conceſſi, & conſuetudo longi tempo-

Digitized by Google

ris tractu corroborata. *L. Si publicanus in f. ff. de Public. L. de quibus & ſeqq. ff. de LL.* An vero rectius ſolvatur vectigal in pecuniâ, quam in merce, tradit *Hermes in Faſc. Jur. publ. p. 257. n. 11.* Affirmans prius, quoniam poſterius nautis furandi occaſionem facilem præbere poſſet.

Th. XVIII. Ut vero vectigalis augeatur commodum, *mercatura* quoque eſt promovenda, nundinarum præprimis inſtitutione, quarum occaſione cum multæ húc atque illûc deportandæ ſint merces, pro quibus vectigal ſolvendum, hinc & Cameræ ex iis reditus accreſcunt.

Th. XIX. Atque hæc de ipſis vectigalibus, perſonis eadem inſtituentibus & recte ſolventibus. Succedunt illæ, quæ vel ex negligentia, vel fraudulentia vectigal dependere omittunt, quarum bona cadunt in commiſſum. *l. 8. l. 6. 11. §. 4. item L. 14. & ult. pr. ff. de Public.* Germani efferant ita: **Weil dieſer das Geleite verfahren/ ſey dasjenige/ was gefahren wird/ nunmehro verfallen.** Quicunque igitur vel animo doloſo, aut negligente vectigal non præſtat, dominium mercium ipſo ſtatim jure amittit, hocque tranſit ad illum, cui vectigal ſolvendum erat. *L. Commiſſa 14. ff. de Public.* quod tamen cum grano ſalis exaudiendum, ut prius ſcilicet accedat ſententia declaratoria. *L. 7. C. de jure fiſci.*

Th. XX. Dixi, quod illius, qui vectigal non ſolvit, merces cadunt in commiſſum. Quid vero juris, ſi quis immunitate gaudeat vectigalium, neque merces, quas vehit per diſtrictum, ubi alter jure fruitur vectigalis, profiteretur ſaltem apud præfectum vectigalium, **bey dem Geleits-Hauptmannen oder andern Neben-Geleits-Leuten/ Mautnern oder Zöllnern;** numne hæ merces pariter lapſæ erunt in commiſſum? Reſp. quod ſic, juxta *L. interdum 16. §. quoties 3. ff. de Public.* Ratio legis eſt, quoniam hac profeſſione mercium ceſſante, nec legibus imperatâ ſub

 præ-

Digitized by Google

prætextu rerum immunium multæ merces prætervehi poſſent, quod vergeret in detrimentum commodi publici.

Th. XXI. Sunt præterea & aliæ cauſæ, propter quas res cadunt in commiſſum, veluti ſi ferrum quis hoſtibus, aut arma, aut cotes, quibus arma acuuntur, apportare auſit. *L. Cotem. fin. pr. de Public.* Item ſi tales merces quis venum exponat, quarum commercium legibus eſt prohibitum. *d. L. Cotem. de Public.* Sed ne juſto ſim prolixior, tranſitum facio ad Regale novum, quod eſt.

Th. XXII. Jus Principum Regale circa *feuda*, der Fürſtliche Lehnhoff / quando propter feloniam, effluxum tempus, Clericatum, aut inhabilitatem vaſallorum &c. finitum eſt feudum, vel denato ſtemmate illo, cui feudum erat conceſſum, hoc aperitur domino, atque ad Principis Cameram revertitur. Quâ ratione reditus Cameræ inſigniter quandoque augentur.

Th. XXIII. Et datur dictis in caſibus domino condictio ex moribus, rei vindicatio, Publiciana, condictiones, aliaque remedia poſſeſſoria. *Roſenth. de feud. c. 12. Concl. 13.* Si ſcil. cum *Roſenthaliô laudatô c. 10. Concl. 41.* tranſeamus in caſtra illorum, qui ſtatuunt, quod apertum feudum ipſo jure perdatur, nec indigeat ſententiâ privante, quamvis declaratoriâ ſit opus. Id quod tamen non indiſtinctè procedit, ſed limitatur, ut locum habeat 1.) quando convenit, ut ipſo jure debeat perdi. 2.) Perditur Feudum jure ipſo propter alienationem illicitam. 3.) Propter crimen læſæ Majeſtatis. 4.) Propter hæreſin. 5.) Propter inceſtum. 6.) Juxta quorundam ſententiam vaſalli ſtatutum contra libertatem Eccleſiæ condentes, feuda, quæ ab illâ tenent, ipſo jure amittunt. 7.) Addunt quidam caſum *C. pro humani ibidemque Canoniſt. de homicid. in 6.* 8.) In caſu *C. 1. Si quis ſuadente Diabolo de Pæn. in 6.* Si ſcilicet vaſallus Epiſcopum injurioſè vel temerè

rè

rè percuſſerit, ceperit, bannierit, vel hæc fieri mandaverit, aut facta ab aliis (intuitu ſcilicet ſui ipſius) rata habuerit, vel ſocius in his fuerit faciendis, aut conſilium dederit &c. tunc feuda, quæ ab Eccleſia, cui offenſus Epiſcopus præeſt, obtinet, jure ipſo amittit. 9.) Per inhabilitatem perſonæ Vaſalli, v. g. quoniam vaſallus factus erat clericus &c. 10.) Quando feudum tantum ad certum tempus conceſſum. 11.) Extincta generatione ejus, cui feudum fuerat datum. Temporis quippe tractu, aut Illius obitu ultimi, qui beneficia inveſtituræ, vigore pacti, aut conſuetudinis, ſucceſſionis in feudum jure præditus eſt, feudum exſpirat. Finita namque eſt conceſſio, ac conſequenter nemini jus aliquod in ipſum feudum potuit acquiri. 12.) Amittitur feudum ipſo jure, quando lata ſententia contra vaſallum ob crimen aliquod commiſſum omnibus bonis vel parte quotà vaſallus exuitur. *Vid. Roſenth. c. 10. Concl. 41. n. 1. ſeqq.*

Th. XXIV. Maxime autem ſerra contentionis reciprocatur inter partes interpretum, *utrum ſententia ſaltem declaratoria ad prædictos caſus requiratur, nec ne?* Itemque, *an propria autoritate dominus feudum commiſſum, aut modis apertum aliis, ſalvo jure valeat occupare?* De quibus *vid. Roſenth. c. 10. Concl. 41. n. 39. ſeqq.*

Th. XXV. Quintum obvenit jam Reale attinens fiſcum Principis, quod eſt *venatio*, ac generali vocis ſignificatione comprehendit feras in aëre, terris quaſi affixas, nec non undis viventes, ut & amphibia. Jus capiendi feras per aërem velis alarum migrantes in ſenſu presſiore nuncupatur aucupium: Licentia in feras terræ veluti alligatas dicitur venatio in ſpecie talis. Quæ triplicis eſt conditionis. 1.) Die hohe Jagt/ ferarum ſcilicet majorum, des hohen Wildprets/ als Hirſche/ wilde Schweine/ Bären/ Rehe/ Trappen/ Auerhanen/ Haſelhüner/ Berghüner/

Schwa-

Digitized by Google

Schwanen. 2.) Die Nieder-Jagt/ ferarum ſcilicet minorum, quorſum pertinent, die Haſen/ Dachſen/ wilde Katzen/ Feldhüner/ Schnepffen/ Endten und dergleichen Waſſer-Vögel/ it. wilde Tauben/ Zippen/ Droßeln/ Grammets-Vögel/ (à vocab. Germ. Grammet/ quæ vox eſt compoſita) Lerchen. &c. Utut inficias ire haud poſſimus, capreas etiam & capreolos & apros quibusdam in locis minorum ferarum capturæ annumerari. 3.) Peculiarem venationis ſpeciem conſtituere poteſt jus capiendi feras rapaces, die Raub-Thiere/ als Wölffe/ Füchſe/ Luchſen/ Fiſch-Ottern/ Martern/ &c. it. die Adler/ Habichte/ allerley Geyer und Reiger/ &c. *vid. Perilluſtris Dn. à* Seckendorff in Teutſchen Fürſten-Staat/ *part. 3. c. 3. Regal. 510.*

Th. XXVI. Quamvis autem feræ primis temporibus jure naturali permiſſivo res fuerint communes, ſucceſſu tamen temporis ſoli acceſſit Imperatori in noſtrâ Republ. jus venationis, quod ſuccedente tempore vel ſpeciali conceſſione, aut immemoriali præſcriptione etiam ad Status Imperii, quin imo ad Vaſallos Statuum, & civitates eſt derivatum. *Dn. à* Seckendorff *d. l.* §. *4.*

Th. XXVII. Jurenè vero an injuria Princeps ſibi ſoli vindicet poteſtatem venandi, variant autorum ſententiæ. Optimè mihi ſentire videntur illi, qui ſummo juris triumpho iſtud introductum cenſent, & quidem his potiſſimum commoti rationibus. 1.) Quoniam multiplicato genere humano nimis multi ferarum nati ſunt inſidiatores, ut proinde 2.) periculum ſubſit, ne ſpecies ferarum intereant, ſi cuivis venari illas foret licitum. 3.) Hæc licentia feneſtram patefaceret ad rapinas & latrocinia exercenda, ſic ubi cuivis, etiam male feriato ſclopetis, pulvere pyrio ac globulis plumbeis onuſto vagari per ſylvas indulgeretur. *Vid. Hahn. ad Tit. de rer. diviſ.*

Th. XXVIII.

Th. XXVIII. Ad jus autem, quod reſpicit capiendi feras rapaces, cuivis illud incolæ, haud excluſo tamen illo, qui alias regulariter jure pollet venandi, ad ſui rerumque ſuarum defenſionem ubivis ferme terrarum competit, *Dn. à* Seckendorff *d. l. D. Præſes diſp. de perſecutione luporum.* Amphibia vero illius venationi, ubi deprehendantur, aſſignare nihil veremur.

Th. XXIX. Porro notandum, quod cum Princeps vel alius in ſylva alterius jus habeat venandi, ille alter, ſylvæ ſcil. Dominus, nequeat pro lubitu arboribus ſylvam denudare, den Waldlichten. His enim remotis feræ beſtiæ latibula ponere, in locum tutum ſe conferre, partumque fovere, aut alere impediuntur, hocque modo imminuitur, aut aufertur venationis commodum. Notisſimi autem juris eſt, quod alteri per alterum non debeat iniqua inferri conditio. Multo autem minus domino fundi arbores funditus exſtirpare, eradicare, ac ſylvam in novale, vel agrum, aut piſcinam convertere licitum eſt, quamvis moderate ligna exſcindere ſine diſpendio venationis domino haud ſit denegandum. *Vid. Diſp. inauguralis ſub præſid. Nobilisſ. Dn. D. Rothii de Novalibus habita.*

Th. XXX. Quæ pœnæ contra Principis interdictum venantibus feras præprimis majores ſint conſtitutæ, non una eſt interpretum ſententia. Nos putamus, ſequentibus rem diſtinctionibus poſſe expediri. 1.) Si tantum ſemel id factum ſit, quod mortis pœnæ non ſit locus, niſi expreſſa Conſtitutio hanc infligat, aut creſcentibus delictis pœnæ quoque quaſi privilegio Principis creſcere jubeantur. *Add. Menoch. de arbitr. jud. quæſt. caſ. 363.* 2.) Neque ob unicam venationem contra mandatum Principis abſciſſio membri locum rectè hîc invenit. 3.) Poſſet tali venanti primâ vice pœna pecuniaria, vel non habenti in ære, aut pro varietate cir-

 cum-

Digitized by Google

cumſtantiarum carceris pœna, aut alia imponi. 4.) De ſæpius venantibus ſimulque incorrigibilibus ultimum etiam ſumi poteſt ſupplicium, quoniam contemnit taliter peccans pertinaci cervice mandata Principalia. *Vid. l. 1. de ſuperexact. lib. 10. Add. Carpz. in pr. Crim.*

Th. XXXI. Attendendum eſſe duco, quid jure Saxonico hâc in parte cautum: Scilicet ſpeciatim ex Conſtit. Saxon. non editis, cum in omnium illæ non verſentur manibus, ſextam ordine huc liceat tranſcribere, quæ hujus eſt tenoris: Würde iemand / wer der auch wäre / unſerer Unterthan oder ein Ausländiſcher / freventlich oder fürſetzlich in unſern und unſerer Lande Wildbahnen / Förſten / Wild-Fuhren / Gegen-Wäldern und Gehöltzen / Wildpret / Hirſch / Wildſchwein / Rehe / und was in hohen Wild-Fuhren gerechnet / unſeren ausgegangenen und publicirten Mandaten zuwider / ſchieſſen / beſchädigen oder fangen / der oder dieſelbigen ſollen mit Stäupen ewig unſerer Lande verwieſen werden / oder ſechs Jahr lang auff Galeen / in Metallen und dergleichen ſtetswährender Arbeit verdammet / oder mit der Straffe Tratto di corda (mit der Wippe /) auff 2. oder 3. Sprünge / nach Gelegenheit der Verbrechung / neben der ewigen Landes-Verweiſung geſtrafft / und ſolche Pœn unnachläßig wider dieſelbige exequiret werden.

Th. XXXII. Recto ordine progredimur nunc ad *jus foreſtale*, quod vel in latiore ſenſu accipitur pro poteſtate ſcilicet circa ſylvas & arbores, tum etiam feras cuſtodiendas & capiendas, vel ſtrictiori in ſignificatu, quatenus denotat ſaltem den Forſtbaum oder Waldnützungen / id quod tunc evenire ſolet, quando alius gaudet jure banni ferini, wenn einer das Weydwerck hat / & alter jus foreſti, das Forſt-Recht. Hocque conſiſtit potiſſimum in eo, quod

Ordi-

Ordinationes foreſtales quis conſtituere, modumque utendi ſylvam præſcribere quis valeat ſubditis, nec non in jure Grutiæ, dem Floß-Recht.

Th. XXXIII. Ad uſum ſylvarum quod reſpicit, curare debent miniſtri vigore officii ſibi commiſſi ab eo, qui jus foreſtale habet, ac legem præſcribere poteſt circa uſum rectum ſylvarum tenendas, v. c. dem Ober-Forſtmeiſter / Forſtmeiſter / Forſt- oder Holtzläuffer / Forſtknechte / ne ſylvæ penitus exſtirpentur, præprimis ubi ſylvarum alias terra laborat paucitate, aut arbores rectè & pulchrè ad ædificia ſtruenda ſurgentes medià ætate cædantur, aut pro Vulcani uſibus diſcerpentur. Porro ſolliciti eſſe debent prædicti officiales, ne præpropere, *arg. l. 20. §. 5. ff. de Serv. præd. urb.* armenta & greges præſertim caprorum caprarumve in ſylvas cæſas jamque renaſcentes, die ietzo wieder mit Holtze zu beſliegen anfangen / admittantur, damit nemlich die junge Haut bis auffs vierdte und fünffte Laub bewahret werde. Præterea, ne per reſinarum abraſionem immoderatam lædantur arbores, providere debent. Atque ſicubi hæc abraſio, das Hartz-Scharren / non cuivis eſt licita, ſed illis tantum, qui penſione annua jus hoc redemerunt, tenentur obſervare, ut ne fures reſinarum pauperiem hâc in parte faciant domino ſuo, & quæ ſunt ſimilia, de quibus *vid. Dn. Fritſch.* im Jagd- und Forſt-Rechte.

Th. XXXIV. Jus *Grutiæ* autem eſt poteſtas per fluvios vehendi ligna ad terras quandoque longe diſſitas, ſoli competens Principi, quam nemo privatus impedire valet, aut ligna abſportare, niſi gravem incurrere pœnam nihil vereatur. Damna tamen hujus ex juris exercitio in ripis, molendinis, ſtructuris in flumine poſitis, piſcaturis &c. denata, merito dominus hoc jus exercens ſolet reparare. *Vid. Dn. à* Seckendorff / *p. 3. c. 3. Regal. 6. n. 4.*

Th. XXXV. Sequitur novum Regale Cameram locupletans, jus ſc. *piſcandi*, quod, quoniam multa habet communia cum jure venationis ſtricte tali, hoc in argumento non ero multus, hoc tantum addens, quod piſcandi jus ad Regalia referatur potiſſimum ideò, quod Princeps circa illud ordinationes præſcribere queat ſuis ſubditis, quales ſcilicet circa proprios ſubditorum rivos, piſcinas &c. ſervare debeant.

Th. XXXVI. Hujus generis ordinationes ſequentia fere continere ſolent capita: 1.) Ne quis retibus nimis arcte contextis piſciculos minimos extrahat ex flumine præprimis, ſi quis partialis tantum ejus ſit dominus. 2.) Ne hamis piſcatio temere inſtituatur eo tempore, quo ova ponere ſolent piſces, aut minimum ne hamis eruantur ac auferantur ova piſcium. 3.) Interdictum eſt alicubi, ne quis fluvium ſolo adæquet, das Schützen und Ausſchöpffen der Brut. 4.) Ut ſtatis tantum diebus piſcatio concedatur. 5.) Ut piſciculi infantes forte fortuna extracti reponantur in fluvium, ut adultiores facti pinguius afferant commodum. 6.) Ne lina macerentur in fluviis, aut raſura lignorum ſectorum, Sägs Späne / in flumen immittantur: Utrumque quippe noxium piſcibus cenſetur. *Vid. accuratiora apud Perilluſtrem Dn. à* Seckendorff / *l. cit. n.3.*

Th. XXXVII. Quantum vero pondus Cameræ reditibus addere ſoleat interdum piſcatura, inde poteſt concludi, quod carpionum ex piſcatione in Ducatu Lotharingiæ tertio quoque anno Dux ſedecim Francorum millia perceperit, veluti tradit *Petr. Bertius in Deſcr. Lotharing. p. 159.* Sic ex una halecum piſcatura in Holandia quotannis unum millionem & quatuor centena ac ſeptuaginta millia confici, ait *Klock. de Contrib. c. 1. n. 342.* nec minorem quæſtum fieri ex aſellorum & ſalmonum captura. *Add. Autor citatus d. Ærar. lib. 2. c. 35. n. 9.* Th.

Th. XXXVIII. Quod ſi ullum tamen Regalium fertile eſt, eſt certe illud Regale *tributorum*, *nec non collectarum & confiſcationum:* De quibus in ſeqq. Et tributum quidem in genere denotat omne illud commodum, quo fiſcus augetur. *Lehmann. in Chron. Spir. l. 2. c. 44.* Schönbornerus tamen in *polit. 4. c. 24.* differentiam ponit inter tributum & collectas, ita ut illud conſtituant, præſtationes ordinariæ, has verò, collectas, puta extraordinarias, indigitare.

Th. XXXIX. Tributa hæc vel *realia* ſunt, vel *perſonalia*, vel *mixta*. Realia ſunt reditus publicus ordinarius, qui propter res penditur Superiori à ſuis ſubditis in utilitatem Reipubl. & notam ſubjectionis: Perſonale nuncupatur tributum, quod perſonis abſque rerum penſiculatione imponitur. Mixtum vero, quod perſonis intuitu rerum indicitur, & obligatio in perſonam dirigitur, licet cauſa finalis ſit res ipſa. *Gail. 2. O. 52. n. 3. & ſeqq. Mynſ. Conſ. 64. Weſenb. Conſ. 45. n. 3. Klock. de Contrib. Concl. 4.*

Th. XL. Priſcis temporibus collectæ omnes erant extraordinariæ, hodie vero, Reipubl. exigente ratione quædam illarum induêre, naturam ſteuræ ordinariæ, *Webn. Obſ. l. 2. tit. 5. ſub vocab.* Schatzung / *Klock. de Contrib. c. 2. n. 111.*

Th. XLI. Quæ collectæ ratione appellationis mirifice ſolent variare in Germania, v. c. Neue Anlage / Bewilligung / Türcken-Steuer / Römer-Zug / Kriegs-Steuer, Fräulein-Steuer / Nach-Steuer / des geſtämpelten Papiers Groſchen / Soldaten-Geld / Mahl-Schwein / Maſt-Geld / Wein-Kauff / Triffts-Geld / Zehenden vom Fleiſch / Wein / Korn / Erbſen / Vieh-Schatzung / Huffen-Geld / Tranck-Steuer / Schutz-Geld / Ungeld / Brücken-Geld. *Wabrem. à Ehrenberg de regni ſubſid. c. 4. & 5. Klock. de Contrib. th. 3.*

Th. XLII. Cæterum dividuntur collectæ præſenti-

bus Imperii moribus in *univerſales* & *particulares*, quæ iterum ſunt vel *circulares*, Creiß-Steuren/ vel *provinciales*, Land-Steuren. Univerſales ſive Imperiales ſunt, quæ ab Imperatore ex Statuum conſenſu imponuntur. *R. J. de an. 1594.* §. Wiewohl nun Chur-Fürſten/ *it. R. J. de an. 1598.* §. Dabey denn auch/ *it. R. J. de an. 1603.* Circulares collectæ audiunt, quas Imperii circuli in ſui utilitatem erogant. Provinciales autem nuncupo, quas pro utilitate territorii ſui vigore Regalium, Status Imperii ſubditis injungunt. *Webn. Obſ. Pr. lit. L. ſub voce*, Land-Steuer.

Th. XLIII. Collectæ imponendæ ſunt regulariter, ex communi Politicorum ſententia, rebus ad luxum facientibus, mercibus pretioſis exoticis quibusdam, aliisque rebus, quibus non niſi delicautli quidam divites ſolent gaudere. Illæ autem res, quibus & dives & pauper indiget ad victum & amictum cottidianum non niſi ſingulari urgente neceſſitate Reipubl. collectis ſunt gravandæ. Illi enim Politicorum, contrarium qui ſuadent, etiam poſt fata male audire conſueverunt, tum paſſim à Politicis & populo dicuntur interdum populi hirundines, vaſtatores, rapaces lupi, pauperum homicidæ, Dæmonum inſtrumenta, flagella Dei peſſima, avaritiæ mancipia &c.

Th. XLIV. Quamvis autem juxta effatum commune, æqualia non excitent bellum, ſicque nemo facile à collectis debeat eſſe immunis, dantur tamen caſus, in quibus immunitas recte locum invenit. Ac 1.) quidem recte immunitas tribuitur in opibus. *L. Cura. 4.* §. *Majores de mun. & hon.* Humanitatis enim officium requirere, ut egenis ſuccurratur, Valentinus & Marcianus agnovere in *l. 12.* §. *2. C. de SS. Eccleſ.* Quis vero pro paupere hoc in puncto ſit habendus, id Judicis arbitrio relinquendum eſt. *Speckhan. cent. 1. qu. 38.* Diſtinguendum tamen videtur inter paupertatem pro-

propriâ culpâ attrectam, & illam fato inflictam. Ita ut poſteriorem beares immunitate, priorem indignam cenſeres beneficio. Quoniam tamen & nos jubemur eſſe miſericordes, ut Pater noſter cœleſtis, qui ſole ſuo & noxios & innoxios recreat, rectiùs, uti puto, judicabimus, ſi utrumque beneficio immunitatis juvandum eſſe credamus, dummodo caſu primo pœnitentia ſupervenerit de malitia commiſſa. 2.) Immunitate gaudent patres 12. liberorum. *L. Si quis 24. C. de Decur.* quam legem in ſpecie de Decurionibus loquentem ad quosvis patres porrigit. *Klock. de Contrib. c. 13. ſect. 3. n. 82.* Ac perinde eſt, ſive moriantur liberi, ſive ſuperſtites ſint relicti. *Ripa in L. ex facto n. 19. de vulg. & pupill. ſubſt.* 3.) Exemti ſunt regulariter Clerici, Res Eccleſiaſticæ & Eccleſiæ ipſæ. *l. 2. §. itaque 2. & Authent. item nulla C. de Epiſcop. & Cler.* Ubi tamen notandum, quod ſi Eccleſia nova coëmat bona Laicorum, ab oneribus realibus non ſit immunis: Quælibet enim res tranſit ſuo cum onere. *l. alienatio 67. ff. de contr. empt.* 4.) Res ſingulariter privilegiatæ aliæ. *l. ſunt 11. ff. de vacat. muner.* 5.) Docet *Klock. de Contrib. c. 14. per tot.* quod ſuo modo Nobiles, Vaſalli & civitates Hanſeaticæ â collectis ſint immunes.

Th. XLV. Verum cuinam accreſcit illud onus, quod ex particulari & ſpeciali immunitatis conceſſione enaſcitur? Quando ſolus Princeps tribuit immunitatem, ille ſolus damnum hoc ſentire debet, nec cæteri ſubditi ſunt gravandi ſolutione reliqui; quod alteri titulo immunitatis eſt remiſſum. Quod ſi vero ſubditorum accedat ex ſonticis rationibus conſenſus ad conceſſionem immunitatis, hôc ipsô ſubditos onus ſupplementi humeris ſuis imponere arbitramur.

Th. XLVI. In ſpecie de *Capitationibus* notari poteſt, quod perantiqua fere ea ſit collectandi ratio, quando quidem & *Plutarchus de Puerorum educatione* phraſi δοῦναι ἀργύριον

κατὰ

κατὰ τὴν κεφαλὴν earundem injicit mentionem. Quæ capitatio aliô etiam nomine vocatur cenſus capitis. *L. ult.* §. *Qui anno nam ff. de muner. & honor.* Quemadmodum cenſus hujus exactores Capitularios & Cephalæotes dictos legimus *L. 2. C. de priv. eorum, qui in Sac. palat. milit.* Cæterum notandum, quod Capitatio non in hominis tantum ſinguli caput, verum & brutorum in capita decerni ac imponi conſueverit.

Th. XLVII. Denique commodum haud levidenſe Cameræ ingerunt *Confiſcationes*, quæ notari queunt per jus, cujus vigore Dominus territorii bona eorum, qui atrocia patrârunt crimina, ob quæ locum habere poteſt confiſcatio, fiſco vindicat, ut alii eo facilius à ſimilibus arceantur piaculis, & ſumtus in inquiſitiones faciendi quadantenus refundantur. *Vid. Jul. Clarus qu. 78. n. 143.* Et quamvis olim variis de cauſis confiſcatio facta fuerit, hodie tamen ſaltim in crimine læſæ majeſtatis & hæreſeos illa ſolet procedere. *Vid. Capitul. Caroli V.* §. *pen. Speidel. in Spec. var. obſ. ſub vocabulo: Confiſcatio. Dn. Rheti in inſt. jur. publ. l. 2. tit. 21.* §. *4.* Quod ſi itaque ſubditus aliquis Status cujuspiam Imperii crimen hodie læſæ Majeſtatis contra Imperatorem committat, atque hujus cauſa damnatur, bona ejus mobilia fiſco cedunt Domini territorialis, ubi domicilium habet poſitum: Immobilia vero allodialia ad dominum territorii, ubi ſita forent, feudalia autem ad dominum feudi directum devolverentur. *Capit. Leopold. art. 27.* Quod in tantum ampliatur, ut licet facinoroſo remitteret crimen ipſe Imperator, bona tamen illa ſemel in commiſſum lapſa, reclamante territorii domino à vetere poſſeſſore delinquente nequeant recuperari. *d. art. 27.*

CAP.

CAP. IV. & ULT.

DE

DEBITIS CAMERÆ PASSIVIS.

SUMMARIA.

I. Debita Cameræ activa in concurſu creditorum ſunt privilegiata. II. An Princeps in avitis bonis feudalibus ſuccedens æs alienum anteceſſoris exſolvere teneatur. III. Affirmativa defenditur. IV. Ponitur regula. V. Exceptio. VI. Quid de Feudo, quod pro ſe & filiis vel deſcendentibus eſt conceſſum. VII. Et ſequentibus usque ad Th. XII. ponuntur Regulæ. XIII. Reſpondetur ad contraria. XIV. An ſubditi cogi queant, ut æs alienum domini exſolvant?

Th. I.

HActenus de reditibus Cameræ, quæ alio nomine debita Cameræ activa appellari poſſunt, atque ratione prælationis in concurſu creditorum partim ſingulariter ſunt privilegiata: Sic v. c. quoad tributa & collectas fiſcus multis præfertur aliis, qua de prærogativa *vid. Illuſtris Dn. Struv. in S. J. C. Ex. 44. th. 47. n. 4.* Nunc pauca etiam de debitis Cameræ paſſivis ſubnectam.

Th. II. Hic autem in ipſo ſtatim frontiſpicio utiliſſima ſeſe oculis noſtris ingerit quæſtio: Annon Princeps in avitis bonis feudalibus ſuccedens æs alienum anteceſſoris exſolvere, aliaque ſimilia ſubire onera teneatur? Cujus quæſtionis pro affirmativa deciſione ſeqq. adduci ſolent rerum momenta: 1.) Quod ſucceſſor obligatus ſit regulariter agnoſcere omnes contractus & facta ſui anteceſſoris, citra ullum diſcrimen, utrum Principatus per ſucceſſionem legitimam

E vel

Digitized by Google

vel teſtamentariam, aut etiam per electionem ad ipſum devolvantur, prout docet *Baldus ad l. digna vox in f. C. de LL. & Canoniſtæ communiter ad cap. 1. X. de Probat.* 2.) Taliter ſuccedens ſimilis eſt hæredi, licet propriè hæres non ſemper queat nominari: Similium autem ſimilis eſt ratio: *Add. Oldradus de Ponte Conſ. 94. n. 16.* 3.) Niſi ſucceſſor adſtringeretur ad exſolutionem in prædicto caſu, integra domus ultimi poſſeſſoris à commerciis magnam partem excluderetur: Non enim ſemper nummis paratis emere poſſumus. Notabile taceo dehoneſtamentum, quo poſſeſſor defunctus ejusque familia deturparetur, ſi creditores querimonias, ſæpius tali in paſſu cum imprecationibus & deteſtationibus debitoris connexas, dolentes damnum ipſis enatum moverent. Quid? quod ipſa lex naturæ præcipit, ne derogemus honori illorum, ſed potius famæ eorundem conſulamus, à quibus beneficiis ſumus mactati. Jam vero illi omnino nos beneficio videntur affeciſſe, quibus ad nos tanti Ducatus tantæque opes & divitiæ, ſine quibus ſordeſcunt familiæ, *l. quisquis 5. C. ad L. Jul. Maj. Bart. in l. 1. C. de dignit.* pervenerunt. 4.) Scandalum daretur ſubditis, ſicubi animadverterent ipſos Principes ſolutionem alieni æris creditoribus denegare. Quippe enim effato Claudiani.

Totus componitur orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quam vita regentum.

5.) Imperator Lotharius *in Conſtit. de prohibitâ feudi alienatione 2. F. 52.* declaravit, Imperialis benevolentiæ eſſe proprium, commoda ſubjectorum inveſtigare, & eorum calamitatibus diligenti curâ mederi. Nec non *Imperator Fridericus in ejusdem argumenti Conſtit. ſuâ 2. F. 55.* Imperialem, *ait*, decere ſolertiam ita Reipubl. curam gerere, & ſubjectorum commoda inveſtigare, ut ſingulorum ſtatus jugiter ſervetur

vetur illæſus. 6.) Nemo factum illius impugnare poteſt, ex cujus perſonâ ſentit lucrum. *l. ex quâ perſonâ 149. de R. J.* Cujus regulæ uberiorem ſenſum tradit *Magnif. Dn. Præſes in Comment. ad R. J. ad d. l. 149.*

Th. III. Verum hæc omnia, quæ hactenus protulimus in medium, tanti non ſunt ponderis, quo minus nos rem ſub indiſtinctione explicemus. Hic enim cum maxime diſpiciendum venit, α.) quo jure ſucceſſio alicui delata ſit, utrum hereditario, an per electionem, aut denique ex propriâ perſonâ, & jure à primo acquirente quæſito, non autem per ultimum poſſeſſorem impetrato. β.) Probe eſt attendendum, in quam cauſam debita ſunt contracta.

Th. IV. Sequentes igitur pro circumſtantiarum varietate nunc ponimus regulas. I. Quando titulo hereditario quis ſuccedit, hic ſucceſſor, quemadmodum ad reliqua facta, conſimili ratione & ad debita prædeceſſoris tenetur, quippe cum heres perſonam repræſentet defuncti. *l. ſi Titio ff. de Pignor. l. Cum à matre. C. de R. V.* Unde conſequitur, quod Reges & Principes, quando jure hereditario ſuccedunt, cauſam habent ab anteceſſore, anteceſſorum ſuorum pactis ſtare obligati ſint. *c. licet de Vot. Bald. in l. Digna vox in f. C. de LL.*

Th. V. Quæ tamen regula data exceptionem patitur 1.) in caſu, ubi conventiones & pacta prædeceſſorum ſunt contra leges fundamentales Regni aut Principatus; ſicut enim anteceſſor hæc revocare debuiſſet, & in male promiſſis, veluti Canoniſtæ tradunt paſſim, reſcindenda ſit fides; quoniam nemo ad impoſſibile etiam moraliter tale, firmiter ſe poteſt obligare; pari modo ſucceſſor majori Juris triumpho tales conventiones revocare potis eſt. *Petri Gregor. Tholoſan. de Republ. l. 7. c. 20. & 23.* 2.) Quando tale pactum militat cum publica honeſtate. *l. Juris Gentium 7. §. ait Præt.*

 ff. de

ff. de Pact. 3.) Sicuti detrimentum importaret Reip. *Matth. de Afflict. in Capit. qui ſucceſſ. dar. tenent. n. 31. 32.* 4.) Bona domanialia nulli Principum alienare licet. Hæc enim à Principis dignitate ſunt inſeparabilia, neque Principis ſunt in commercio; verum honorantur nomine jurium regni diadematis, coronæ, ſaçra ſacrorum diademati Regio ſpeciatim ſacra & veluti in corpus ejus transfuſa. *c. intellecta 33. de jurejur. Add. Molinæus, JCtus Hiſpanus, de Hiſpan. Primogen. lib. 1. c. 3. n. 17. & Corpus Juris Civilis Romano-Gallici lib. 7. t. 2.* Regium patrimonium alienari omnino non poteſt. Proinde Princeps civitatis caſtra, ſubditos & alia ad coronæ opes pertinentia nequit alienare, & omnes etiam illi actus viam ſternentes ipſi alienationi interdicti erunt. *arg. l. oratio ff. de ſponſal. l. f. C. de reb. alien. non alienan.* Quicquid igitur ab anteceſſore hoc in puncto factum erit in contrarium, in caſſum abit, nec præjudicat ſucceſſori.

Th. VI. Verum licet hæc obtineant in Principatu mere hereditario, aliud tamen eſt in feudo, quod conceſſum eſt pro ſe & filiis, vel deſcendentibus maſculis, ut ſcilicet ſucceſſores feudales tali in caſu minus teneantur debita ab anteceſſore contracta exſolvere, dummodo abſtineant ſe à bonis allodialibus, aut hereditatem adierint confecto inventario, *Andr. de Juſern. l. f. C. de Jure deliber. Schrader. c. 7. n. 34.* Quamvis quidam arbitrentur, quod licet agnati non confecerint inventarium, tamen non ſint obligati ad exſolutionem æris alieni ab anteceſſore contracti; filii autem ſive deſcendentes ad hoc præſtandum teneantur. *Bartholom. Bertazzor. Conſultat. lib. 1. Conſ. 89. n. 22.*

Th. VII. Regula ſecunda de electione agens hæc eſto: Quando electus mediante Capitulatione ad facta anteceſſoris præſtanda ſemet obligavit, iisdem ſtare tenetur, & obligatus eſt debita ab anteceſſore contracta exſolvere.

Th. VIII.

Th. VIII. Regula tertia: Quando Princeps mutuam accepit pecuniam ob honorem proprium aut in proprios uſus & utilitates, ſucceſſor iſtam rependere non tenetur.

Th. IX. Regula quarta: Quando mutavit Princeps in cauſam dignitatis neceſſario, tunc ſucceſſor ſolvere debet iſtud mutuum.

Th. X. Regula quinta: Quando mutuum accepit non in cauſam dignitatis, ſed voluptatis aut utilitatis cauſâ, ſucceſſor redhoſtimentum minus debet creditori.

Th. XI. Regula ſexta: Quando debita contracta ſunt pro neceſſaria ſuſtentatione ultimi poſſeſſoris, ſucceſſor in majoratu tenetur ad perſolvenda illa.

Th. XII. Regula ſeptima: Agnatus ſuccedens jure feudali & proprio in feudis antiquis ex pacto & providentiâ, non cogitur æs alienum ſolvere, aut reliqua onera ferre hereditaria. Quam tamen rem *Roſenth. de feud. c. 9. Concl. 15. n. 14,* ſub diſtinctione decidit, diſtinguendo ſcilicet inter onera feudatarii, & onera feudi, ut ſi ob hæc defunctus debita contraxerit, illis obnoxius ſit ſucceſſor agnatus, minus vero propter altera. *Vid. Stuck. Conſil. 26. n. 1. & ſeqq. plurimis.*

Th. XIII. Ad argumenta *th. 2.* in contrarium prolata Reſp. & quidem ad 1.) negando, quod ſucceſſor indiſtincte obligetur ad præſtanda anteceſſoris facta. Ad 2.) Reſp. quod omne ſimile ſuo etiam modo ſit diſſimile. Ad 3.) Reſp. quod etiam pingue poſſidens patrimonium præſenti pecunia emere poſſit ad ſtatum ſuum neceſſaria: Et ſi perperam contrahat æs alienum, ac poſt fata dedecus aliquod ipſum maneat, ſibi debeat hoc imputare damnum, quod propriâ attraxit culpâ: Volenti enim non fit injuria. Ad 4.) reponimus diſtinguendo inter ſcandalum datum & acceptum. Nullum hic ſubeſt ſcandalum datum, quamvis acceptum emer-

gere

gere queat, quod poſterius is declinare debet, qui hoc accipit, excutiendo errorem, cujus tenebris animus illius eſt obfuſcatus. Ad 5.) commoda ſubditorum ſunt promovenda ſine tertii injuriâ. Ad 6.) Lucrum iſtud equidem non eſt præciſe ex perſonâ ſemper anteceſſoris, ſed ſæpius à primo illo, qui feudum acquiſiverat, aut jure electionis.

Th. XIV. Cæterum quæri poteſt h. l. an ſubditi cogi queant, ut æs domini ſui alienum exſolvant, hujusque rei causâ collectam extraordinariam conferant? Reſp. negando, ſi dominus pecunias in res voluptuarias, equos ſcilicet artificioſos, ædes inutiles, veſtes ſuperbas, aut delicias alias ſuperfluas erogans illud æs alienum contraxerit. Quod ſi enim neceſſitate inductus dominus ære gravetur alieno, cives ad id ſolvendum cogi queunt. *Vid. Hœnon. Diſſ. Polit. 5. th. 90. Bocer. de collect. c. 6. n. 23.*

Quod ſupereſt, plura equidem & jucunda, & utilia, & neceſſaria hic ſubtexere haberem; verùm ne limites excedam propoſiti, hic ſint terminalia, ac pro conceſſis in hanc opellam viribus ſit

Ter Auguſtisſimo in cœlis numini laus, honor & gloria in æternum.

NOBI-

Nobilissime Gerharde!

Etſi mihi nunquam dubium fuit, quin ex innato erga literas amore incenſus gloriæ cupidine paternas virtutes ſis æmulaturus: tamen ejus rei magnam mihi fidem faciunt vita laudabiliter acta, improbus labor & præſens periculum legale à te feliciter adornatum. Ex quibus facile quivis poteſt intelligere, quantopere familiæ tuæ ampliſſimæ de tali agnato ad præclara omnia comparato gloriandum ſit: quantaque in parte felicitatis ponere debeat, quod ex Eâ per ſingularem gratiam DEI non niſi ingenio gloriaque præſtantes viri in magnum Reipubl. uſum evadant. Perge ita, mi GERHARDE, & vitæ tuæ probitas, nobiliora animi bona, juris ſciti prudentia, nominisque honos, quæ juncto fœdere ſedem in Te finxerunt, animo tuo nunquam abitura, certo facient, ut nominis tui gentilis ſignificata divino auxilio impleturus, Themidosque Sacerdos, clypeus Juſtitiæ ac probis perfugium futurus ſis. Tibi aliquando de Phœbo ejusque favore; & Titulo de Te gratulabor. Sic ſtuduiſſe æternum juvabit. Vale corpore & mente, ac honoratiſſimum tuum parentem, qui Vitricus tibi nomi-

mine eſt , non re, & ſemper mirifico animo erga Te fuit, quemque iis nominibus impenſe colis, meo nomine ſaluta officioſe. Dab. Jen. d. 7. Decembr. 1687.

T.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

amantisſimus

PRÆSES.

Digitized by Google